

mâ. (2.) *rationis*, cum aliquid concipitur, saltem ut compositum, in reipsâ autem compositum non est, ut est compositio animæ ex facultatibus. Si major de reali compositione intelligitur, vera est, sed negatur minor. Si verò intelligitur major, de compositione rationis, falsa est, cum DEO non repugnet compositio rationis, quia simul cum simplicitate stare potest, si concipimus DEUM esse compositum ex essentiâ & attributis, ut nihilominus simplicissima maneat essentia. Quod probationem attinet, falsum est, quod omne concretum compositionem realem importat: sæpius abstractum & concretum differunt realiter, quod suo loco relinquitur: abstractum tamen à concretô semper realiter differre falsissimum est. Sic DEUS rectè dicitur Pater, Pater autem est concretum, cujus abstractum est Paternitas; quæ duo tamen nec realiter distinguuntur, nec in DEO realem compositionem faciunt. Et sanè si nullum concretum de DEO dici potest ob allatam rationem sequitur DEUM non esse DEUM sive de DEO non posse dici hoc prædicatum DEUS; consequentia probatur, quia hoc prædicatum DEUS est concretum, cujus abstractum est Deitas: Absurdum autem est DEUM non esse DEUM, cum hoc contradictionem involvat. E. absurdum est prius illud, quod nullum concretum de DEO possit prædicari. Aliis quoque exemplis ostendi potest, abstractum & concretum, non semper realiter differre; nam v. gr. divisibile est concretum, cujus abstractum est divisibilitas; At verò divisibile & divisibilitas realiter non differunt, cum unum ab alterò separari non possit; absurdum enim est, divisibile dari sine divisibilitate, & divisibilitatem sine divisibili.

§. 4. *Dicitis*: Forma realiter differt à formato; abstractum est forma. E. realiter differt à formatô, nempe concretô: Resp. negatur major, ut autem ratio negationis
appa;